

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clvcccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.



578
HEXAËMERON
MOSAICUM

SUCCINCTA EXPLICATIONE
repetitum,

&

DEO TER OPTIMO Auspice

In

almâ Academiâ WITTEBERGENSI

SUB PRÆSIDIO

Uiri Reverend. & Excellentissimi,

DN. BALTHASARIS MEISNERI,

S S. Theol. Doctoris, ac P. P. celeberrimi, Præceptoris & Promotoris sui filiali observantiâ æternùm colendi,

DISPUTATIONE THEOLOGICA

Publicè propositum

à

M. ANDREA KESLERO, Coburgo-Franco,
Facultatis Philosophicæ Adjuncto,

*In Auditorio Majore, ad diem 4. Octobr.
horis matutinis.*

WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

MAXIMILIAN

MOSARUM

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE

DE REGIBUS ET REVERENDISSIMO PATRE

FRANCISCO DE VITTORE





D. O. M. A.

Duplici respectu amplissimum hoc mundi amphitheatrum considerari potest: tum ratione naturæ constitutæ & corporum naturâ constantium, tum ratione ortus ac interitus. Illa contemplatio magis ad Physicum; hæc ad Theologum pertinet, propterea, quod fidei sit, credere mundi creationem sex dierum spacio absolutam, itemq; ruinam ejus per ignem futuram. Ex solo namq; DEI verbo Creationis ordo innotescit, Physico, ut Physicus est, penitus ignorante: ex eodem unice πᾶσι λείπεισιν modus cognoscitur, ratione saltem de interitu suspicante, vel conjecturâ quid assequente. Hac vice prius illud membrum exercitii materiam faciemus, & secundum Mosaicam manuductionem opus Conditoris DEI hexæmeron brevi ac succinctâ explicatione persequemur. JEHOVA in nominis sui gloriam nobis largiatur gratiam.

THEOREMA I.

Mundus à DEO sex dierum spacio conditus est in tempore.

Ut hoc Theorema rectè explanetur, considerandum est & subiectum & prædicatum. Mundus ergò aut sumitur pro domicilio ex regionibus cœlesti & elementaribus constante, & sic in propatulo est, istud initio conditum esse: aut pro compage ac serie corporum naturalium, ut comprehendantur simul partes contentæ, utpote, plantæ, animalia &c. Sic distinguendum inter aliqua omnium specierum individua & inter omnia. Neque enim omnia individua corporum naturalium creata sunt, cum innumera mundo jam condito per generationem naturalem sint producta, & adhuc producantur indies.

A 2

rum

rum naturalium gradus individua quædam fuere condita, ex quibus alia deinde nascerentur generatione vel univocâ vel æquivocâ.

Quoad prædicatum, notandum 1. *Agens*, qui Deus, ubi 1. removemus consortium angelorum, quasi per illud mundum Deus condiderit ex *Job. 9. 8. 2.* asserimus agens ad extra per virtutem essentialem adeoque Deum essentialiter accipimus *Jer. 10. v. 10. 11. 3.* Deum trium agnoscimus, & tres personas creasse mundum statuimus ex *Job. 1. 1. Ps. 104. 30. Job. 26. 13.* simulq; pluralitatem personarum ex *Elohim Gen. 1. 1.* colligimus. 4. nec tamen tres causas *socias* facimus, cum non adsint partiales influxus, nec dici queant tres creatores, & una sit virtus trium personarum creatrix. 5. multò minus *inequalitatem* concedimus, ac si una persona alterius respectu causa instrumentalis fuerit, vel administra. Notanda 2. *actio*, quæ est creatio & quidem ex nihilo, partim immediatè partim mediatè, ut in sequentibus patebit. Principale verbum, quo hac operatio exprimitur est וַיִּבְרָא , significans simul potentiam, & majestatem creantis. Aliàs adhibetur etiam וַיִּשְׁרַע fecit *Gen. 1. 31.* וַיִּסְדָּק fundavit *Psal. 89. 12.* וַיִּשְׁבַּע formavit *Gen. 2. 7.* *וַיִּבְרָא אֱלֹהִים* *Hebr. 3. 4.* Ab hac potente actione 1. excludimus omnes creaturas, in propriâ virtute consideratas. 2. non tamen *humanam Christi naturam* ob unionem personalem, & communicatam majestatem, minimè concedentes in miraculis illam fuisse organon inefficax. 3. approbamus realem prædicationem in concreto: *Filius hominis creavit caelum & terram*, ob unitatem personæ. Notanda 3. *initium*. Creavit Deus in *tempore*. Neque enim ab æterno à Deo quasi fluxit mundus, licet non audeamus negare, quod ab æterno Deus conditum si voluisset, condere potuisset, cum implicatio contradictionis non ideò sit metuenda, *Quid ante conditum mundum Deus fecerit*, curiosæ temeritatis est inquirere: *cur non citius fecerit, que fecit*, injuriæ est rationem poscere. Notanda 4. *duratio* creationis, quæ est *Sex dierum*. Non enim condidit Deus totum mundum uno momento, licet condiderit omnia simul, quâ voce non temporis *vñ* innuitur, sed omnium rerum collectio, ut nulla à creatione divi-
nâ excludatur *Eccles. 18. 1.* Deinde non intelligimus sex dies *ordinarios* per revolutionem solis, cum sol ac primum mobile 4. demum die completè extare ceperint, sed partim *ordinarios*, nempe *posteriores*, partim *priores extraordinarios per motum corporis lucidi vicem*

vicem Solis sustinentis. Notandus 5. terminus à quo, qui est nihil seu non ens simpliciter, si respiciamus remotam mundi materiam, molem nimirum rudem. Terminum autem intelligimus, non materiam ex quâ, terminum verò imaginarium, non realem.

I I.

Primi diei opus est 1. moles rudis & indigesta, 2. lux primæva.

Quidam 2. alii 3. nonnulli 4. opera primæ diei adscribunt, nempe quoniam operatio cum opere ab aliis conjungitur, ab aliis ab eodem sejungitur. Nos opus primum dicimus *molem indigestam*, quæ 1. *informis* dicitur non ratione omnium formarum, sed respectu indistinctionis, ac formarum subsecutarum. 2. *rudis*, quia nondum fuit elaborata. 3. non igitur est eadem materia cum materiâ primâ Aristotelicâ in Physicis, quæ omni corpori naturali inest. In hac materiâ ac mole consideratur 1. *substantia*, quæ est duplex, cœlestis, & nomine cœli innuitur, & sublunaris seu elementaris, & nomine terræ & aquæ intelligitur *Gen. 1. 1.* 2. Intelligimus enim per cœlum & terram v. 1. non mundi elaboratum systema, quasi illo versiculo creationis summaria fiat descriptio, quæ *Keckerman. in System. Theol. Phys. & cursu Philos.* est sententia, *see rude chaos, ex natura cœlesti & elementari constans, moti connexionem v. 1. & 2. evidenti.* 2. Rejicimus opinionem de *angelis* nomine cœli appellatis, cum de corporum sensibilibus serie sermo sit, ut & nugæ de *cœlo Empyreo.* 3. Per *principium* intelligimus primordium operum divinorum, & universitatis rerum materialium ac immaterialium conditarum. Unde nec *Filium DEI* intelligi statuimus, nec *angelorum* existentiam principio huic præponimus. 4. Per *abyssum* aquam fundo carentem intelligimus, cui aer sit admixtus, adeoq; vaporosam quandam substantiam confusam adhuc & indistinctam. Consideratur 1. *Affectio molis*, nempe ruditas & inanitas, itemq; tenebræ, Terra erat *inanis* propter formarum carentiam & abyssum, *vacua* propter absentiam fructuum terrâ nascentium. *Tenebrarum* nomine accipimus non umbram ex impedimento lucis spiritualis divinæ, non substantiam, multò minus principium aliquod æternum, nec positivam qualitatem, sed privationem lucis formaliter, & in abstracto. Consideratur

tur I I I. *Operatio*. Spiritus Domini incubabat aquis. Per Spiritum alii
aerem intelligunt, ut Rabini alii, *efficaciam* ac virtutem Dei, ut Calvinus,
alii Spiritum Sanctum, ut plerique Orthodoxorum attendentes i. ad-
jectum determinans, Dei. 2. locum. *Psal.* 33. 3. aerem nondum exi-
stentem. Per *incubare* intelligunt materiam fotam à S. S. fuisse ad
instar gallinæ pullis incubantis. Nihil ex hoc loco pro exorcismo &
consecratione aquæ & aliorum *Pontificiæ*. Majori pietati typus præ-
sentia S. S. in baptismo statuitur.

Alterum opus est *lux primæva*. In quâ consideratur 1. *modus effi-*
ciendi per v̄ dicere. Quo verbo secundum quosdam nutus omnipo-
tentia divina exprimitur, quomodo ad Christi verbum miraculosa
sanatio fuit secuta, secundum alios λόγος secunda Trinitatis per-
sona ex *Job.* 1. Consideratur 2. *Substantia*. *Basilus* statuit lucem hanc
fuisse expertem materiae, & sine eâ servatam, donec deinde astris ut
vehiculis insita fuerit. Unde *Bellarmin.* ex eo probare conatur acci-
dentium sine subjectis existentiam. Alii volunt fuisse ignem, ut
Gen. 1. 3. incipiat Moses elementorum constitutionem describere.
Alii sentiunt fuisse substantiam lucidâ, ex quâ deinde astra sint con-
dita. Cujus etiam residuam particulam nonnulli volunt viam lacte-
am. Alii denique qualitatem statuunt fuisse corporis lucidi, nempe
» coeli aquis adhuc immerfi, quæ sententia satis est probabilis. Dicimus
» sicuti per lucem solarem dies jam constituitur, ita tum per coeli non-
» dum separati lucem tenuiorem extraordinariè diem fuisse perfe-
» ctum. Consideratur 3. *operatio citra lucem*, nempe divisio lucis à te-
» nebris. *Tenebrae* non erant quid positivum propriè, sed luminis ab-
» sentia, proinde nec creatæ dici queunt accuratè loquendo. *Divisio*
» facta est, dum Deus lucido corpori motum indidit, quo vicissitudo
» diei & noctis efficeretur. Unde lux diei nomine, tenebræ noctis
designantur, quod eo sensu explicamus, quo & jam lumen dies, te-
nebræ nox dicuntur: Relinquimus explicationes, de emissionem &
contractionem lucis à Deo supernaturaliter facta *Basilii*, & de luce nu-
bi inclusæ *Beda*.

Notanda veniunt hîc tria generalia, 1. de *visione*, quod lux sit
bona. Illa nec est admirantis, nec indagantis, nec inopinatè adver-
tentis, sed artificis approbantis, quod, ut voluit, fecerat, & confir-
mantis ordinem naturæ. 2. De *Vocatione*. Vocat Deus non nudâ ap-
pellatio-

pellatione, sed efficaci constitutione in futurum. 3. De *bonitate*. Bonæ fuerunt res quæ Deus condidit 1. ob convenientiam cum voluntate Creatoris, 2. ob perfectionem debitam. 3. ob divinam benedictionem, 4. ob usum naturalem à Deo præscriptum. 3. De *constitutione diei*. Dicitur 1. *fieri per vesperam & mane*, tum, quod tenebræ præcessissent, tum Synecdochicè ponendo vesperam pro nocte, mane pro tota die. 2. *Una*, pro prima, secundum morem linguæ Hebrææ, cui consentit usus Græcorum *Marc. 16.* 2. Sunt tamen, qui vesperæ nomine notatum volunt finem diei artificialis, per mane finem noctis. Sicut etiam unam diem fuisse dicunt, quia nec prior tum fuerit, nec posterior.

III.

Secundi diei opus est 1. firmamentum, 2. aquarum superiorum & inferiorum distinctio.

Expansum seu firmamentum intelligunt quidam *spheram octavam*, continentem stellas fixas, alii *totum æthera*, alii simul *æthera & ærem*, alii denique *solum ærem*. Probabile est per *Rakia* intelligi firmamentum, in quod deinde collocata sunt astra: per *Schamaim* totum illud, quod à terra ad extimam firmamenti superficiem usq; extenditur. *Gen. 1. 14. & sequent.* *Ær* præcisè intelligi nequit, cum in eum stellæ non sint repositæ. Per *aquas & aquas* seu superiores & inferiores quid sit intelligendum, controvertitur. *Calvinus* per superiores intelligit nubes, per inferiores maria ac flumina, ut & *Keckermannus*, qui *Meal* de super intelligit de medio expansi, per quod notari ait cælum, ignem & ærem, in hoc autem elevatas pendere, nubes. Simplicius per superiores accipiuntur *aquæ supra firmamentum* positæ, ut inter eas & inferiores, nempe tum nubes, tum maria & flumina, perenni constantiâ expansum sit medium, & eas à se invicem dividat, quod quidem aeris naturæ repugnat, utpote; qui in tantum non dividit, ut in eo ex mari ac fluminibus vaporum quotidiana ad nubes in pluvias resolvendas fiat elevatio. De *sine* aquarum supracælestium non opus est quærere, si, *quod sint*, probatum sit. Laudant Deum, qui eas condidit *Psal. 147.* Incertum autem est quod de contemperatione ferventis axis asseritur. Historiam quoq; in allegoriam convertere, ut historia amittatur, est historię vim inferre.

Quæri.

Quæritur hîc 1. de Cœli seu firmamenti *materia*. Aquem illam esse non ineptè colligitur, tum ex appellatione, tum ex productionis modo. 2. *An cœlum sit fluidæ naturæ, an solidæ?* Prius, si motum cœli expendamus, probabilius videtur, licet vox expansi ad soliditatem inclinet. Sed vocetur expansum ob firmitatem distinctionis inter aquas & aquas. Conferantur *Job. 37. 17. Amos. 9. 6. Psal. 104. 3. Es. 40. 3. An cœlum distinctis orbibus realibus constet?* Nihil de his scriptura. Astronomis nihilominus fas est docendi gratia distinctos imaginarios constituere. 4. *Cur testimonium de bonitate operum huic diei non addatur?* Suspiciantur quidam angelorum ob lapsum factum, esse: alii ob malum omen numeri binarii: nonnulli, quod nondum perfectum sit cœlum; alii conjiciunt errore scribarum trajectam esse clausulam in 3. diem, cui bis additur, cum LXX. eam hîc quoque expresserint. Sed, si maximè causam ignoremus, nihil suberit pericli.

I V.

Tertii diei opus est 1. arida, 2. mare, 3. germina terra.

Arida terra apparuit & constituta est, per confluxum aquarum in locum unum. Nam ex naturæ conditione aqua totam terram ambire poterat, in usum autem animantium certis terminis includi debebat. 2. Nec tamen congregatio facta est in unicum locum, cum innumera sint flumina, in quæ aquæ dividuntur. Ortus nihilominus est ex mari, reditus in mare *Eccles. 1. 3.* Globum unum cum arida mare ambiens constituit, ob altitudinem maris concedendam *Psal. 103. 6. Job. 38. 8.* 4. Aquam hîc primùm accepisse vim ad declivia fluendi, quasi antea immobilis fuisset, minus probabile est. 5. De littorum potius ac limitum aquæ constitutione Mosen intelligimus. Et hoc opus est, ob quod tantopere in Scripturis potentia ac virtus Dei prædicatur. *Psal. 33. 7. Jerem. 5.* De germinatione terræ, quæritur, *an herbe (& reliqua terrâ nascentia) ex terrâ tanquam ex materia productæ sint, an immediatè ex nihilo in terrâ ut in loco?* Prius affirmamus.

V.

Quarti diei opus est luminarium & stellarum in expansum collocatio.

Quaa-

Quamquam in genere nomine *stellarum* & Sol & luna & reliqua astra coeli comprehendantur, tamen in descriptione Mosaica sol & luna tanquam luminaria à stellis distinguuntur. In *luminaribus* consideranda est 1. *substantia*, & probabiliter statuitur ex substantiâ lucidâ primævâ compacta esse sidera, quæ lucis essent vehicula, cum antea subobscura & per abyssum diffusior illa extitisset. 2. *Finis*, qui est 1. distinguere inter diem artificialem & noctem. 2. esse in signa tempestatibus, diebus, & annis, seu discescere anni partes diversis tempestatibus, & sic temporum discriminibus inservire. 3. lucem communicare terræ, & efficaciam suam impertiri. 3. *Distinctio*. Est n. luminare *maius*, nempe Sol, cujus officium speciale, præsidere diei: est luminare *minus*, luna, cujus officium, præsidere nocti, nempe lucendo. Est autem luminare *minus* potissimum ratione solis. Aliàs est luminare *magnum*, non quasi reliquarum stellarum nulla vel æquè magna sit, vel major, cum diversum experientia Mathematica demonstrat: sed ratione 1. *aspectus*, 2. *officii*. Luminare porro est, non præcisè propter lucem propriam, sed communicatam, quâ nocte terris inservit. Aliàs non videtur absq; scrupulo certum, habeatne luna propriam etiam lucem, quamquam probabiliter aliqui colligant affirmativam ex 1. *Cor. 15.* & *Ecclipsium* testimonio. Sic ergo sunt duo luminaria magna, non mole corporis, sed excellentiâ usus, & opinione intuentium. *Stellas*, quod attinet, earum finis itidem est lucem afferre terris *Gen. 1. 17.* Hæ verò innumerabiles sunt *Gen. 15. 5.* non simpliciter & omni modo, cum dari possit & detur ab Astronomis numerus, quem stellæ exuperare nequeant, sed ratione distinctæ singulorum enumerationis actu.

Quæritur 1. *de stellis, quomodo sint signa?* Resp. Signa sunt 1. tempestatum, indicantia diversa tempora oportuna seminandi, plantandi, purgandi &c. 2. distinctarum anni partium. De signis nautarum, agrorum, viatorumq; indicibus nihil asserimus. *Eclipses* autem huc referre non videtur incommodum. *Meteora* tamen, ut *geminos soles, paraselina &c.* alienius est sub signorum cœlestium sensum accersere.

Quæritur 2. *Cum signa alia nudè significant, alia simul sint cause, an stelle sint signa prioris generis, an posterioris, adeoq; an astra agant in hæc inferiora?* Resp. Distinguendum inter diversos agendi modos, &

B inter



inter diversos agendi modos, & inter objecta, in quæ aguntur.
astra. Nam 1. agunt *motu, luce, & influxu*, quem si quis negare vellet,
cum vel lunæ exemplum refurabit. Diversimodè etiam agunt, vel
mediate vel immediate; vel *proximè vel remote*: vel *per se*, vel *per accidens*.
2. Inferiora, in quæ agunt stellæ, vel sunt *purè naturalia*, vel sunt *vo-*
luntaria, ut homines, unde & effectus earundem vel sunt *naturales*, ut
pluvia, siccitas, ventus &c. vel *voluntarii*, ut virtutes & vitia, vel *ac-*
cidentarii, ut honores, divitiæ &c. Influent astra 1. in effectus na-
turales elevando materiam ad tempestates, fulmina, pluvias, &c.
causalitate *propinquâ*, quod satis manifestum. 2. in naturalia homi-
nis; ut temperamentum & dispositiones corporis. 3. in studia, mo-
res, actiones voluntarias hominis, non nisi *remote*, quatenus ex
temperamento pendent inclinationes ad has vel illas virtutes vel vi-
tia, quæ causalitas insufficientis est, ac proinde eâ positâ non statim
effectus ponuntur, cum impediri multis de causis queant. 4. *Remo-*
tissime quoque in res fortunæ aliquid juris habent, ratione tempera-
menti, nullâ tamen necessitate, cum illæ à contingentibus causis
propius efficiantur.

Quæritur 3. *de astrologicis prædictionibus, an ex Gen. 1. 14. probari*
queant? Resp. Neque enim sequitur à significatione ad prædictio-
nes speciales rerum contingentium. Foret argumentatio à genere
ad speciem, ab indeterminato ad determinatum. Rem ipsam alias
quod concernit, distinctionibus opus est. Et quidem 1. prædictio alia
est *necessariæ veritatis*, alia *probabilis*. 2. Aliquid prædici potest tanquam
consequens per se, ut ex accidente ejus contrarium sequi posse non ne-
gatur. 3. Res, quæ prædicuntur, distinctorum sunt generum. Aliæ ne-
cessariò pendent ex causis ordinariis, per se & naturæ necessitate
secuturis, ut sunt *conjunctiones Planetarum, Eclipses &c.* De his certa
Astrologica fieri potest prædictio. Aliæ sunt *ex causis naturalibus*, sed
quæ possunt impediri, variè, à principio supernaturali, vel natura-
li, ut *pluvia, tempestates, &c.* De his probabiliter conijcere possumus,
non certò prædicere. Ratio est, tum quod stellæ non omnes, earum-
que effectus sint cogniti, tum quod varia fiat à causis sublunari-
bus per bellicas cædes, incendia &c. mutatio: tum imprimis, quòd
Deus iratus vel placatus tempestates dirigat, ut astra inclinent qui-
dem, sed non necessitent. Aliæ denique sunt, *quæ proximè ab humano*
arbitrio

arbitrio pendent, ut studia, mores, virtutes, vel à variis causis externis & liberis, ut dignitates, conjugia, officia. De his non solum temerarium est certò quid prædicere, sed & impossibile, cum studia ac mores hominum potius ab institutione, consuetudine, consortio aliorum, dependeant. Inprimis expendendum proponimus exemplum Esavi & Jacobi fratrum gemellorum, nativitate parium, studiis autem & moribus planè dissimilium. Gen. 25. 24. Sed ipsimet Astrologi prudentiores cautè & modestiâ adhibitâ de prædictionibus loqui solent, ne Epicureismo & Stoicæ opinioni fenestræ aperiantur. Conferantur loca Esai 41. 22. Jer. 10. 2. & exemplum consideretur Daniel. 2. ubi ingentes illas mutationes regni Astrologorum Chaldaicorum nullus prævidere potuit. Ergo 1. certitudinem prædictionum Genethliacarum non admittimus. 2. furta, & vitia alia hominum adscribenda esse stellis, minimè asserimus. 3. improbamus audaciam eorum, qui Christi vitam, miracula & acta stellæ miraculosæ, quæ Magis apparuit attribuunt. 4. Aversamur eorum temeritatem, qui Christi crucifixionem ex astris dependisse colligunt.

VI.

Quinti diei opus est 1. aquatile animal. 2. volatile.
 Sic ergò dies quintus piscibus natalis est, & avibus, ac duo elementa, aqua & aer duplici inhabitantium genere perficiuntur. In horum utroque tum creatio consideranda, tum benedictio addita. Pisces ex aquis jussu Dei producuntur, secundum communiorem sententiam, ut ex materiâ sed creationis, non generationis, secundum aliquos in aquâ, ut in ordinariâ sede & proprio habitaculo immediatè ex nihilo. Speciatim recensetur creatio ceterum maximorum, non quasi minores Deus non condidisset, sed partim, ne imperiti pro miraculis aut spectris haberent, quæ sunt creaturæ ordinariæ, ob ingentem molem & magnitudinem: partim, ut ex Creatione majorum creaturarum cognosceretur minorum Creatio. Pertinet ad aquatilia 1. quod degunt in aquis. 2. fluminibus. 3. paludibus: tum natantia, tum repentia, tum ingredientia ut cancri. Volucres ad aerem pertinent. Unde dicuntur volare super terram, versus superficiem expansi cœlorum. De harum materiâ quaritur.

tur, an sit aqua, terra. Aquam plurimi volunt aves produxisse, ut ius-
su divino eadem aqua proferret diversissimarum naturarum anima-
lia, pisces & volucres, quorum illi extra aquam non vivunt, hæ ex-
tra aerem non degunt. Quo ipso conspici ajunt divinam potentiam
& sapientiam. Alii ex terra volucres volunt productas, ex Gen. 2. 19.
Nonnulli ex terra simul & aqua conditas esse statuunt conjungentes
duo loca Gen. 1. 20. & Gen. 2. 19. Media sententia probabilior vide-
tur. In adjuncta benedictione consideranda veniunt duo, 1. res,
2. modus. Quantum ad rem attinet, est illa multiplicatio secundum
speciem, seu progeneratio similis ex simili. Modus consistit in ap-
pellatione & compellatione animalium, volucrum & piscium, cum
ante Deus nullam creaturam allocutus fuisset. Estq; hæ allocutio
non eo intelligenda modo, quo cum hominibus Deus collocutus
legitur, sed de efficaci naturæ constitutione, & virtute univoce ge-
nerandi animalibus illis concessa.

VII.

*Sexti diei opus est 1. animalium terrestrium produ-
ctio. 2. hominis creatio.*

Terra quæ degunt animantia, sexto die condita dicuntur pecu-
des, reptilia, bestia terrena. Huc ergo pertinent jumenta, vermes, ser-
pentes, bestia, feræ. Quibus omnibus implicite addita est bene-
dictio per verba: *Secundum speciem suam*. Quanquam sint, qui benedi-
ctionem, quæ Creationi hominis subjungitur, huc referunt.
Ultimum opus Dei est *ἡμιόμοτος*, homo, in quo considera-
tur 1. *Creandi consilium*. Quia enim rationis & consilii participem
creaturam Deus volebat condere, ideò consultare prius voluit.
2. *Creatio*. Conditus est 1. *mas & femina*, ille ex limo terræ, hæc ex
costa Adami Viri (quæ ablata & per carnem recompensata nihilo-
minus homo permansit integer) 2. *ad imaginem & similitudinem Dei*,
quæ explicatur ac declaratur per dominium in animantia super uni-
versam terram. Hic necessaria distinctio imaginis & similitudinis
non occurrit, cum interdum ponatur unum, interdum utrunq; Ne-
que solum homo dicitur conditus esse *ad imaginem Dei*, sed etiam esse
imago 1. Cor. 11. 7. Ulti porrò hic imago Dei explicatur per dominium, ita
alibi per sapientiam in intellectu, & voluntatis rectitudinem ac ju-
sticiam

stitiam 2. Cor. 3. 18. Ephes. 4. 2. Proinde non possumus eam pro *sub-*
stantia habere, sed potius definimus partim per *qualitates* in animâ
 & corpore, partim per *statum* eminentiæ ratione aliarum Creatu-
 rarum. Eandem dicimus naturalem, non quasi fuerit vel essen-
 tia ac natura hominis, vel essentielle ejus consequens, sed quod 1.
 concreata fuerit. 2. intimè naturam humanam perfecit, ita, ut eâ
 ablatâ natura minimè manserit integra. 3. propaganda fuerit natu-
 rali generatione in posteros. Unde consequenter negamus fuisse
 externum aliquod ornamentum per supernaturalem gratiam in
 creatione superadditum. Cumq; tota sit per lapsum amissa Eph. 5. 8.
 nihilominus quædam ejus simulacra in naturâ etiam lapsâ reperi-
 untur Rom. 2. 14. Indies autem in renatis major fit ejus restauratio
 Eph. 4. 2. in æternâ vitâ plenissimè futura 1. Cor. 13. 10. 3. *Benedictio*,
 in quâ tum multiplicatio per generationem, tum gubernatio per
 subjectionem, quâ omnia animantia homo sibi habebat subdita.
 Prius illud munus post lapsum quoq; locum obtinet, sed in miseriâ,
 posterioris umbræ adhuc quædam supersunt. 4. *Nutrimenti constitua-*
tio, quod sunt omnis generis herbæ. Usus herbarum maledictionis
 quidem loco Gen. 3. adducitur, sed non esus Paradisiacarum, verum
 earum, quæ sunt extra Paradysum, longè ignobiliorum. *Carnium* „
 non fit mentio, quia, uti verisimile est, ante lapsum non fuisse „
 commodam homini escam brutorum carnem, dicendum. Nutri- „
 mentum hoc non arguit hominis primævi mortalitatem, h. e., incli-
 nationem ad debilitatem, senectutem, ad morbos, ad mortem ipsam
 necessariò secuturam naturalem, sed mortalitatem eam, quâ 1. actu
 ipso corruptio & generatio ratione nutrimenti, & humidi radicalis
 ac caloris nativi suum habebat locum, per conversionem nutri-
 menti in substantiam corporis alendi. 2. potentia fuit in corpore
 Adami, uti ad peccandum, ita ad moriendum posito peccato. 3. po-
 tentia resolutionis corporis mixti in sua principia per causam vel
 internam vel externam, quarum potentiarum prior illa vocari po-
 test *potentia libertatis*, hæc *natura*: utraque autem est remota. Quod
 si quaratur de potentiâ propinquâ, rectè asseri dicimus, quod pri-
 mus homo fuerit *immortalis*, hoc est, quod potuerit & debuerit
 non mori, sed in perpetuò virium vigore absq; metu impendentis
 morbi ac mortis permanere, quæ immortalitas pendeat à causis

partim internis, partim externis. *Interna* fuit vigor animæ, ac vegetæ corporis vires, tum libera potestas evitandi omnia, quæ noxam inferre poterant. *Externa* fuit *tum* gratia Dei conservantis & pericula prohibentis, *tum* dominium in Creaturas reliquas, *tum* deniq; nutrimentorum bonitas, in Paradyso, inprimis arboris vitæ virtus & efficacia, quæ fuit medium ordinarium vitæ propagandæ. His ita declaratis negamus contra *Photinianos* hominem primum suâ naturâ fuisse mortalem, ut naturæ necessitate tandem mori eum oporteret, nisi fortè singulari privilegio ipsum Deus præservare voluisset. Negamus, quia talis mortalitas est prima peccati, non naturæ consequens. Contra *Pontificios* etiam negamus immortalitatem illam, quam diximus, fuisse supernaturalem & specialis gratiæ, quando *naturalem* dicimus, utpote quæ naturam humanam intime perfecit. 2. per creationem à Conditore indita. 3. naturalibus mediis conservanda. 4. naturalis generatione propaganda. Quod si quis dicat, nonnaturalem fuisse, eò, quòd sine ea essentia humana esse possit non minus, quàm cum eâ esse potuit, *equivocationem* termini inferet.

Cæterùm in opere sexti diei insuper notandus 1. *modus consultationis* per verbum: **FACIAMUS**, quo sacrosanctam Trinitatem dicimus innui, negantes vel magnificentiæ causa pluralem numerum poni, vel cum angelis communicari consilium. 2. *repetitio de imagine Dei*, cum dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*. Facta est ea *partim* ad tollendam pronominis æquivocationem, *partim* propter emphasin ad attentionem excitandam, ut nobilitas hominis conspiciatur. 2. *Spiraculum vitæ*, quod Deus homini inspiravit. Illud fuit ipsa anima rationalis. Inspiratio facta est non animæ ex Dei substantiâ, quæ & indivisibilis, & creaturæ essentialiter incommunicabilis, sed à Deo intelligendo *εισθεωροντας*. Eadem ostendit animæ naturam, quæ sit spiritualis & intelligens. Unde soli homini, non reliquis animantibus spiraculum vitæ inspiratum esse legitur. Nunc autem creando animas humanas inspirari de novo minus convenit, & cum *peccati originalis propagatione*, & cum *generatione univocâ*, & denique cum *benedictione divinâ*, quæ efficaciam non minorem in homine, quàm in brutis obtinet.

Itaq; sex diebus perfecti sunt cæli & terra, omniq; exercitus illorum.

Ita orditur caput 2. *Gen. Moses*, compendio creationem mundi exprimens, simulq; ejus definitionem suppeditans. *Perfectio* notat & finem actionis, & mundi sufficientiam, quoad partium firmitatem, & cujusq; naturalis corporis debitam bonitatem, potissimum tamen operis secundum Opificis consilium consummationem. *Cæli & terre* nomine intelliguntur synechdochicè partes mundi contentæ, ut mentione extremorum etiam intermedia corpora aer & aqua intelligantur, vel *cælorum* nomine æther & aer comprehenduntur, *terre* appellatione globus aqua & terrâ constans intelligitur. Per *exercitum* exprimuntur partes omnes mundi contentæ, stellæ, animantia, meteora &c. innuitur *tum* numerus contentorum, *tum* ordo ac series. Verum aliquot se dubia offerunt perfectionem tum numeri, tum essentialis singulorum corporum concernentia. *Quantum ad illam, queritur* 1. *de angelis, an sint creati, & si sint creati, quo die, & an ad mundi creationem pertineant, & deniq; cur de illis nihil Moses scripserit?* Resp. 1. Creatos esse constat ex *Colos. 1. 16.* 2. Ante mundi creationem conditos esse minus est verisimile, quoniam per *to èvrai* ante mundum scriptura æternitatem describit: quo creationis die sint conditi, non ita ex scripturâ est manifestum. Videatur tamen *Job. 38. 7.* 3. Ad mundum non tam rationæ essentialis pertinent, quippe non sunt corpora naturalia, quàm officii, quia sunt spiritus administratorii. 4. Nihil de iis Moses scribit in historiâ Creationis, quoniam scopus ejus fuit visibilis hujus mundi ortum describere, non in genere omnium Creaturarum. *Quæst. 2. de muscis, pediculis, erucis, insectis aquatilibus & aliis ex putridâ materiâ orientibus, an sint creata in sextiduo.* Verisimilius est post creationem ex materia naturali orta esse. *Quæst. 3. de malis, qui ex diversarum specterum mixtione generantur.* Probabile est non venire sub censum eorum quæ per hexæmeron esse inceperunt. Videantur, quæ à Patribus disputantur *Gen. 36. 24.* *Quæst. 4. de tribulis ac spinis.* Afferimus eas non esse creationis naturæ, sed corruptionis, maledictionis, ac poenæ. *Quæst. 5. de nubibus.*

bus, an creatione inceperint? Affirmamus ex Job. 38. 9. licet de pluvia paulò aliter dicendum sit ex Gen. 2. 5. Quæst. 6. de iride, an demum ceperit post diluvium, an verò per creationem? Resp. Incepit per Creationem, ratione potentia naturalis & causarum naturalium, post diluvium sub ratione signi. Gen. 8. Quæst. 7. An novarum specierum individua ceperint post hexaemeri perfectionem? Resp. Non absurdum, hoc est affirmare, nec perfectioni mundi, nec quieti divinæ repugnans. Pertinent quædam ad hexaemeron ut creata *immediatè*, alia *mediatè*, & quædam ex creatione ortum habent *actu*, quædam *potentia* ratione *materia*. Quantum ad singulorum corporum perfectionem attinget, quæritur de *venenatis herbis & animantibus*. Resp. Venena, ut talia, non important malitiam naturæ absolute, sed solum inconvenientiam ratione alterius.

F I N I S.



Umg. VI 23

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852



sb. 26


Folio
VD 77





Dijon
M...





B.I.G.

Farbkarte #13



578

MERON ICUM

XPLICATIONE

itum,

PTIMO Auspice

WITTEBERGENSI

RÆSIDIO

. & Excellentissimi,

ARIS MEISNERI,

ic P.P. celeberrimi, Præce-
ris sui filiali observantiâ
m colendi,

NE THEOLOGICA

propositum,

â
LERO, Coburgo-Franco,

osophicæ Adjuncto,

re, ad diem 4. Octobr.

s matutinis.

T E B E R G Æ,

ica CHRISTIANI THAM,

em. Typogr.

M DC XXIII.

